



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,  
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &  
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque  
obeundi**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniæ, 1690**

III. Petitio Luminis, ad Filium Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

*sicut in celo & in terra: quod promittitur misericordibus. Libidine impugnor: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, ut confortet debiles; & sensus cœlestes, terrenos reprimant. Irâ infestor: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, quod promittitur mitibus. Gulâ tentor: Et ne nos inducas in tentationem; quâ primi parentes prostrati sunt Denique Acediâ opprimor: Sed libera nos à malo; & à periculoso in rebus divinis tædio, quod omnium malorum est origo. Amen.*

III. *Petitio Luminis, ad Filium Dei.*

O Sapiencia Patris, Lumen de Lumine, & Lux mundi indeficiens! illumina me, ut cognoscam te, & charitatem, quâ dignaris venire ad me, intelligam, quo me extremâ industriâ præparem. O auctor & consummator fidei, Jesu! illumina me in fide; ut in omnibus tentationibus resistam fortis in fide diabolo; qui ab incredulis timetur ut leo, à fortibus in fide ut vermis contemnitur. S. Isidorus l. 3. de summo bono c. 5.

N

Illa-



Illumina me in spe, Protector meus & clypeus omnibus sperantibus in te, ut abundem in spe & semper expectem ac desiderem te summè desiderabilem: tu enim es *Spes mea à juventute mea*, Psalm. 70. *Tu es Spes omnium finium terra*. Psalm. 64.

Illumina me in charitate, ut diligam te, Domine, & omnia sensuum blandimenta amore tui respuam, ô Deus meus & omnia! & cum famula tua Gertrude exclamem animitus: l. 2. c. 66.

» O amœnitas omnium colorum, dul-  
 » cor omnium saporum, delectatio om-  
 » nium sonorum, suavis amœnitas ample-  
 » xuum intimorum, superfluens abyssus  
 » divinitatis: Te omni creaturæ præligo  
 » propter te omni delectationi abrenun-  
 » tio; pro te omni adversitati obvio; in his  
 » omnibus te unicum laudatorem requi-  
 » ro; Tu animæ meæ vita; tecum sit affe-  
 » ctio cordis mei, vi ardoris amatorii con-  
 » flata. Utinam in omni, ad quod sine te  
 » tendit anima mea, reddatur inanimata  
 » ut in te vivida tecum arctissimo amoris  
 » vinculo colligata permaneat.